Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 125
Quelle:
Copyright:



II. p. CDLXXIII. ſpecimen ex Evangelio *Forojul.* exhibet a noſtro tamen diverſum. Noſtrum cenſet *Capita* 28. quorum primum eſt: *Natiuitas chriſti. magi cum muneribus ueniunt. & ioſeph ab angelo per uiſum admonitus cum puero & matre ejus in aegyptum fugit. Infantes interficiuntur.* Et ultimum: *Paſſio ihesu & ſepultura. & reſurrectio eius. itemque mandata & doctrina eius de baptiſmo. Explicit Breuiarium.* His praemiſſis tandem ſub porticibus pulcre picturatis comparent *Canones Euſebiani.*

*Fol.* 21. charactere quadro aureo, argenteoque *Incipit Evangelium Secundum Math.* diſtributum in *Capita* XXVIII. quae reſpondent memorato *Breviario*, a linea quadrata miniata incipiunt, in marginibus adſtitutam habent harmoniam et in περικοπας minores tributa ſunt. Eodem modo ſe habent reliqui Evangeliſtae *foll.* 53. 76. 106. praeeunte videlicet noto *Argumento*, et *Breuiario*, quod in *Marco* a *Cap.* 11. excidit, Textu tamen integro, in *Luca Capitula* cenſet XXI. in *Johanne* vero XIV. Lectio rarius ab hodierna differt, et tum cum aliqua *Evangeliarii Blanchiniani* conſonat. Ita Luc. I. 3. *adſequuto a principio omnibus.* Joh. I. 18. *Deum nemo uidit umquam, niſi unigenitus filius* (ſuperpoſitum *qui eſt*) *in ſinu patris, ipſe enarrauit.* &c.

Ad calcem praeclariſſimi Codicis Manus pulcra Sec. XII. notavit: *Anno ab incarnatione domini noſtri ihesu chriſti mill. XC. IIII. indictione II. dedicata eſt hęc capella IIII. id. Julii a tiemone ſanctę iuuauenſis ęccleſię archiepiſcopo. in honore ſanctę & indiuiduę trinitatis. & ſanctiſſime crucis. & ſanctę Marię matris domini. & ſancti Nycolai confeſſoris domini. Continentur autem in altari reliquię reconditę*, quarum longa deinceps enumeratio. Nihil de hac Dedicatione in *Chronico* Monaſterii *Lunaelac.* unde Codex nobis obtigit, nihil etiam in vita *Thiemonis* T. II. *Germ. ſacrae Hanſizii*, niſi quod ad an. ſupra dictum e Chronographo *Admontenſi* notatur: Eccleſiam apud *Halle* ab eo conſecratam fuiſſe. An vero hic *Hallam Salisburgicam*, an Oppidum *Hallſtadium* non longe ab *Lunaelacu* diſtans intelligi oporteat, mihi incertum eſt.

## LXXXI.

Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 192. f. pulcherrime ſcriptus, auro vividisque coloribus pro aevi arte picturatus hoc praefert Δοδεκαστιχον: R. 3307

*Rerum iactura breuis eſt breuiter peritura.*
*Non permanſura. ſic ſunt mortalia iura.*
*Et nil ſub ſole ſtabili durabile mole.*
*Vt patet expreſſe. quod uiuit deſinet eſſe.*
*Nec repetet uitam. niſi ſolus homo quia dignus*

*Inter*